





Disciplinae Speculative generales à se invicem per abstractionem à materia  
sensibili ita distinguuntur, quae triplicem modum habet abstrahendi à ma-  
teria Physica et Sensibili, quorum singulas singula etiam convenit Discipline:  
1. Si abstractio fit solum à materia signata i. singulari, quo modo homo abstra-  
hitur à materia non, omni, sed singulari solum seu conditionibus individualibus,  
et talis abstractio est, quae assignatur Physica. 2. Alia abstractio fit à materia et signata  
et universaliter secundum rationem; quomodo dicuntur ea abstrahi, quae in materia  
eodem respectu sunt, et existunt solum, sed tamen tunc abjunguntur in apprehensione  
sua ad omni materia sensibili: Sic quantitas quidem per se est in materia sensibili,  
sed tamen à mathematico apprehenditur sine materia sensibili: et ejusmodi ab-  
stractio secundum rationem competit Mathematici. 3. Alia denique abstractio est, quae  
fit à materia secundum rem et rationem, uti solet in iis, quae non solum in ap-  
prehensione intellectus sine materia concipiuntur, sed etiam reserantur, et saltem  
ut sic materiam non habent. Quo modo DEUS et Angeli abstrahunt à materia se-  
cundum rem et rationem, quia hi nec apprehensione mentis concipiuntur cum materia,  
nec etiam aliqui vere habent materiam, et hic estis modus, quem Metaphy-  
sica sibi unice vendicat.

In Metaphysicis alia tractantur per se et immediate et propter disci-  
plinam ipsam: alia à mediata et per accidens, et propter disciplinas  
alias, quarum subiecta praecognoscere debet Metaphysica.

Ob K<sup>o</sup> F.  
O<sup>o</sup> F.

ir JC

Signat!

~~SSI~~



DISPUTATIONUM  
METAPHYSICARUM  
PRIMA  
De  
NATURA & CONSTITU-  
TIONE METAPHYSICÆ,

Quam

Auspicio & auxilio summi J E H O V Æ  
annuentis

M O D E R A N T E

M. JOHANNES SCHARFIO

Croppenstadenſe Saxone,

*Consensu Ampliſſimæ Facultatis Philoſophicæ*

In florentiſſima

WITTEBERGENSI ACADEMIA

Publicè ventilandam, placideq; examinandam,

proponit

ANDREAS MATTHIÆ

Brandenburg. Marchicus.

In Auditorio Minori, ad diem 16. Novemb.

horis matutinis.



WITTEBERGÆ,

Ex Typographico CHRISTIANI THAM,

ANNO M DC XXII.





METAPHYSICARUM

PRIMA

NATURA & CONSTITUTIO

MENTIS METAPHYSICAE

AVONIAE

M. JOHANNES SCHMIDT

PROFESSOR

PHILOSOPHIAE

WITTEBERGENSI

PUBLICAE

ANDREAS MATHIAS

PROFESSOR

PHILOSOPHIAE

WITTEBERGENSI

EX TYPOGRAPHIA

ANNO MDCCLXXII







ΠΡΩΤΟΝ

περὶ αὐλίου.



Uo juxta alia sunt, quæ in accurato philo-  
phandi genere non exiguam merentur observationem,  
quæq; veritatis studiosè studiosè caveat; unum, ne ubiq;  
alienis videat oculus; alterum ne suis ubiq; nimium fidat.  
Illud scilicet servile nimis; hoc foret temerarium nimis.  
Illud infelicissimum est philosophandi genus; hoc peri-  
culosissimum: Utrumq; errorum mater. Sanè qui nunquam aciem mentis in  
res ipsas à natura propositas dirigunt, qui aliorum hominum dictis  
se unice mancipant, non possunt non ex erroneis erroribus imbibere scriptis.  
Similiter nec isti audaculi, qui elato supercilio omnem autoritatem, omnes  
receptas & communi magnorum virorum consensu comprobatas, senten-  
tias in super habent, sine errorum cumulatione vel quicquam suscipiunt.  
Audacia talis intolerabilis, & ausus superbi nimis tetrum quendam Ramum &  
Franciscum Patricium, olim excitabant contra Aristotelem & alios saniores  
philosophos. Sed ò quantis cum erroribus, ineptiis & absurditatibus! Nos  
ergo non ita. Nos veritatis amore allecti & philosophiam & post hanc philoso-  
phos sectabimur. Ecce, mensura intellectus nostri est res ipsa, quæ intelligitur, &  
rerum ipsarum naturali vi cognoscibilium exactior expressio, & altior impressio  
in intellectu appellatur sapientia, vel ut hodie loquimur, philosophia: ubi fons  
sapientiæ natura ipsa est, & mens hominis inde informata. Hanc philoso-  
phiam è rebus ipsis dextrè eruamus oportet; Verùm sine duce ne pergamus, philosophos  
etiam audiamus, eorumq; autoritatem & manuactionem amplexemur,  
libro tamen illo naturæ & creaturarum magno haut præponamus. Hoc,  
quod dico, in primis in prima philosophia observandum venit. Illa namq; ut est  
regina omnium: ita etiam insignes insignium ingeniorum ausus requirit dex-  
trè suscipiendos. Et quidem, si cujus vis scientiæ, cujus vis intelligentiæ, cu-  
jus vis prudentiæ & artis informatrix, perfectrix & magistra est hæc nostra  
Metaphysica, ejusq; in literaturâ universâ necessitas inæstimabilis, fieri pro-  
fectò non potest, quin præcium eximium, & insigne ei ponatur exercitium,

A 2

tempus,





tempus, diligentia, labor & opera. At vero secundum hanc, ut debent, ita reliquæ disciplinæ instituuntur, perficiuntur, informantur. Illa reliquarum disciplinarum genera explicat, ipsaq; principia indagat, proponit, inculcat. Et licet utilitates hujus disciplinæ, aut per exiguæ, aut planè nullæ videantur illis, qui eas ex solis pecuniarum, aliarumq; terrenarum facultatum lucris, ut ait Fonseca de Stoicis, tom. 1. c. 7. metiantur; & verissimum est, Doctore Scalligero Exerc. 307. l. 3. in fine, quod ad machinas farinarias conficiendas hæc subtilitatum indagatio minus conducibilis, attamen modicè & peritè philosophantes tot ac tantas deprehendunt, ut ne fando eas enumerare queant. Logicus ex illa mutuatur doctrinam prædicamentorum: petit ex illa terminos topicos, quid causa, quid effectus sit, solide ex illa cognoscit. Certè sine Metaphysica, miserabilis esset erratio, nostra in studiis literarum contemplatio; Hac inquam, sublatâ, Philosophus esset Morolophus, Theologus Cacologus, quid enim actus primus & secundus, necessarium & contingens; & c. ex illa tam Philosophus, quàm Theologus cognoscere necesse habent. Hæc est disciplina augusta & venerabilis, ob utilitates, quas reliquis disciplinis supra modum præbet, Metaphysica. Hanc in posterum venabimur: Hanc ut dextrè obtineamus, & ipsam naturam & oculos philosophorum eximiorum consulamus. Sequemur autem filium, ut Ariadnes Theseus, præceptorum nostrorum: in primis Clarissimi & Excellentissimi philosophi Dn. Jacobi Martini: ne scilicet in labyrinthis scriptorum quorundam amentium à Minotauro confusionis miserè devoremur. Ita eam, auxilio divino sublevati, aliquot disputationibus disputandam & explanandam suscepimus. Faxit Jehova, ut opus nostrum prosperetur, gloria ejus prædicetur, Sapientia acquiratur, omnia vergant in gloriam animarum nostrarum maximam.



THE-



# THESIS DISPUTATIONIS

## PRIMÆ.

I.



Ntequam ad ipsam *θεωρίαν* primæ nostræ Philosophiæ provehamur, præcognitis quibusdam, quæ de naturâ & constitutione Metaphysicæ præmonere ac præparare nos habent, instructissimus oportet: partim ne in ignotâ versetur Sylvâ: partim quod *πᾶσι διδασκαλία, καὶ πᾶσι μάθησις διανοητικὴ ἐκ προῦ περιεχέσθης γίνεσθαι γνώσεως, I. post. Analyt. cap. 1. t. 1.* partim, ut uno quasi intuitu conspiciatur, & ὡς ἐν τῷ πῶ repræsentetur, quod hisce in futuris contemplationibus expectandum sit; ut inde appetitus ingenui genij magis magisque inflammetur.

II. Primò autem tenenda venit *quidditas Metaphysicæ*: quid enim inquires de re considerandâ, nisi aliquo modo prænoscas, quid sit res expendenda? Hinc autem definitionem investigabis: Est quippe *ὁρισμὸς τῆς ἑσίας γνωρισμὸς*, ut inquit Philosophus *2. post. Anal. cap. 3. t. 2.* eaq; vel est *ὀνοματώδης*, vel *πραγματώδης*.

III. Quoad nominalem Metaphysicæ prænotionem inconfesso est, quod per illam intelligatur disciplina *universalissima* & abstractissima, quæ in universali omnia contemplatur, etiam ea, quæ supra naturam sunt constituta.

IV. Sed Ramistarum deliria heic statim retundenda veniunt, quando Metaphysicam hanc vel omninò nobis præripere, vel cum Logica confundere demoliuntur: Scilicet frustra de quæstione *τί ἐστὶ* laboratur, ubi non ante certò constat quæstio *εἴ ἐστὶ*.

V. Omninò autem contra Rami ineptias statuendum est, quod *Metaphysicæ peculiaris* sit *scientia* à reliquis omnibus totaliter *distincta*. Etenim peculiare & legitimum *habet objectum* à reliquarum disciplinarum objectis planè distinctum,



mempe *ov n' ev*, quod sanè disciplinam ipsi proportionatam  
anxiè requirit. Hinc sunt *affectiones, sive attributa universalis*,  
omnes prædicamentorum ordines percurrentia, quæ ad nul-  
lam particularem disciplinam referri possunt. Dantur insuper  
*divisiones communiore in infinitum & finitum, in substantiam &*  
*accidens*, quæ itidem in peculiari scientia non se includi pati-  
untur. Vide Philosophum *lib. Metaph. γ. cap. 1.* item *Suarez,*  
*Fonssecam*, *dn. Cornel. Mart. & dn. Jacob. Mart.* passim in-  
scriptis *Metaphys. dn. Gutk. contempl. Metaph. disp. 1. q. 1. Verso-*  
*rem, Lavell. Combach. Scheibl.* qui autores omnes suo exemplo  
& documento satis comprobarunt *Metaphysicæ* existentiam  
distinctam, eamq; distinctè illustrarunt.

VI. Imò *sublatâ Metaphysicâ* reliquæ disciplinæ essent flu-  
vij quasi, sua propria carentes scaturigine. Revera enim *Meta-*  
*physica* est scaturiginis instar, unde tanquam ex fonte & prin-  
cipio reliquæ promanantes esse & principia accipiant sua.

VII. Et quid? Ipsi *Ramicolæ* hanc suam supinam rudita-  
tem ex parte tandem nonnulli agnoscere cœperunt, indeque  
*Metaphysica* systemata suo more compilare, muscerdam pro-  
pipere vendere, & ita incautiores decipere non erubuerunt,  
ut ille *Timplerus, Keckermannus, Goclenius, &c.*

VIII. Ut igitur necessario *danda est Metaphysica*, sic ea-  
dem neutiquam cum *Logica* confundenda. Abhorret certè  
natura ab omni confusione. Distinctè ergo distincta tradas,  
ne in ipsam pecces naturam, imò ne in teipsum sis iniquus,  
mentis perversor.

IX. Quod si hoc paulò altius perpendimus, facilè erit  
nonnullorum Rami fraterculorum confusionibus occurre-  
re. Minus probè faciunt, dum *Metaphysicam* *Logicæ* immif-  
cent tractationi. Sane tam ridiculi hîc sunt, ac si adfirmarem,  
id, quod *Papa* tenet in sua potestate, id esse meum. *Ratiunculæ*  
illorum vel nullæ sunt, vel *Sophysticæ*, vel ludicræ, & omnes  
infirmus sunt baculus, cui innixi non possunt non turpiter  
procidere.

X. *Meta-*



X. *Metaphysica* immane quantum distat à *Logica*! 1. *Metaphysica* terminos reales & entia realia rimatur, *Logica* verò notionem intentionales, seu rationales pertractat. 2. *Metaphysica* est pars, eaq; præcipua, nobilissima, & suprema Philosophiæ; at *Logica* saltem ejus instrumentum. 3. *Metaphysica* nomine *Μετῆμικῆ* ab Aristotele condecorata; *Logica* verò est *τρόπος τῆς Μετῆμικῆς*. 4. *Metaphysica* Ens ut est, sive existit, extra mentem considerat, *Logica* non ita *ἀπλῶς*, sed considerando praxin adhibet, & quod extra mentem in Ente non est in eo efficit, videlicet notionem secundam. 5. *Metaphysica* agit de bonitate, unitate, veritate &c. *Logica* verò de omnibus hisce mura. 6. *Metaphysica* speculatur veritatem principaliter: *Logica* instrumentaliter, præbet saltem instrumenta, quibus verum à falso discernatur. 7. *Metaphysica* est Domina. *Logica* serva & famula. 8. *Finis Metaphysica* est speculari: *Logica* verò operari, atque hinc illa expetitur propter se, hæc autem propter operationem.

XI. Nunc de existentia *Metaphysicæ*, eaq; distinctâ certi, ad ipsam essentiam ejus porrò expendendam progredimur, ubi ordo recta exposcit *Nominis explicationem*. Quia verò *maxima subtilitatis pars in libris sapientum est Oeconomia*: Scalig. *Exerc. 303. f. 9.* heic ante omnia nomenclaturam *Metaphysicæ* evolvamur oportet.

XII. Universalissima hæc nostra scientia inscribitur *τῆς πῶν μετὰ τὰ Φυσικὰ*: Unde orta est nomenclatio *Metaphysicæ*, ut ita ab interpretibus Aristotelis hæc ipsa disciplina appellata sit *μετὰ Φυσικῆ*, quæ vox origine quidem græca, nunc tamen Latino etiam usu donata, ut & cæteræ cæterarum artium appellationes.

XIII. Vox hæc *Metaphysicæ* de se & primò sonat quasi *Postphysica*, id est, postnaturalis: Descendit enim à *μετὰ*, quæ præpositio cum accusativo posita significat *post*; & à nomine *Φυσικῆς*, ut ita, vi præpositionis primariæ & propria, *Metaphysicæ* idem sit, ac *postnaturalis*.

XIV. Non



XIV. Non verò est, quod *de nomine hoc Metaphysica* dubites: antiqua est illa appellatio & vera retinendaq;. *Antiqua est & inter ipsos grecos nata.* Licet enim *Aristoteles* illam non habeat, neq; ullibi *Ἐπιστήμην* hanc, quæ sola *Ἐπισκοπεῖ καθόλου τῶν ὄντων ἢ ὄντων*, lib. γ. *Metaph.* haut expressè appellaverit *Metaphysicam*; fluxit tamen illa ex *Aristotelica* inscriptione *τῶν μετὰ τὰ φυσικά*: Unde *Metaphysica* appellationem videtur agnovisse *Nicolaus Damascenus*, & post ipsum *Plutarchus*, unde nonnulli colligunt, quod ejus primus author fuerit *Andronicus Rhodius*, qui primus *Aristotelis* libros collegit, & publici juris fecit, attestante *Clariss. Dn. Jacob. Mart.* in prælect. *Metaphys.* privatis lib. I. cap. I.

XV. *Vera & commoda est Metaphysica appellatio*, quia proximè accedit ad ipsius rei conditionem. Revera enim ea, quæ in hac scientia tractantur, sunt *μετὰ τὰ φυσικά*, sive respicias *ad dignitatem*, nempe quæ statum rerum physicarum longe post se relinquunt, dum transcendunt naturalia, & in sublimiore gradu & ordine consistunt: sive spectes *inventionem*. Nam *ὄντα* *Metaphysica* licet in se sint maximè intelligibilia, non tamen nisi ab alijs, quæ physica sunt, primum sunt abstracta, ac in se accepta, certoque ordine digesta: Sive etiam *modum tractandi & discendi* attendas. Non enim facile docentur vel demonstrantur, nisi discipulus aliqua rerum physicarum cognitione imbutus sit: quia enim in rebus abstractissimis atq; remotissimis à sensibus occupata est hæc disciplina; non facile sensibus, & per hos intellectui imprimuntur, nisi in rebus physicis mens intueatur, atq; sic per exempla physica illustrentur; ut rectè docet *Excell. Dn. Jacob. Mart.* in prælect. *Metaph.* privat. d. I.

XVI. Interim non est obscurum, quod hæc scientia nostra appelletur *Metaphysica, hoc est. post physica, post naturalis.* Partim *ab ordine doctrinae*, respectum scientiæ naturalis, ut docet *Zabarella* lib. de Const. natural. scientiæ cap. 18. id est *ob modum cogn-*



*cognoscendi* quod ob difficultatem ultimo loco cognoscenda  
sit: partim à modo *inveniendi*, quod post physicam à sacerdoti-  
bus *Ægyptiorum* est inventa.

XVII. Non autem Nominatur Metaphysica ab objecto  
speciali seu potiore Transphysica: considerat quidem ea en-  
tia, quæ entitates rerum naturalium transcendunt, id tamen,  
derivatio præpositionis *μετὰ* non admittit. Dignitatem & ex-  
cellentiam ejus si contemplerer, deberet potius Hyperphysica  
dici, quam *μετὰ* id est post physica.

XVIII. Collimat huc varia *Synonymia*, quâ gloriose gau-  
det Metaphysica. *Aristoteles* eam modò vocitat *ἄνωγειν ἢ θεωρεῖν  
ἐν ἡδύ: modo absolute philosophiam lib. Metaphys. γ. cap. 2. & 3.*  
modò *philosophiam primam, lib. γ. Metaph. cap. 2. & lib. 2. cap. 1.*  
quo nomine singulariter gaudent scripta Aristotelis, illoq;  
passim utitur in alijs libris, quoties res in Metaphysica tracta-  
tas allegavit, utpote in fine *libri primi Metaph. item lib. de A-  
nim. motu. cap. 6. & alibi*. Scilicet non ordine intentionis, sed  
quia agit *de primo scibili*, id est, de ente communissime sumto  
ejusq; communissimis differentijs, & per Antonomastian, quia  
est disciplinæ pars princeps, præstantissima, & certissima reli-  
quis disciplinis lucernam impertiens clarissimam, genera &  
principia illarum ritè explicando: modò *Theologiam natura-  
lem 6. Metaph. c. 1.* Non quidem ac si objectum ejus sit Deus; vel  
quasi notitiam naturalem de Deo inculcet, & omne id, quod  
de Deo naturaliter scimus, perse exponat: sed quia in univer-  
sali permulta de Deo cognoscit, vel *ex intentione Aristotelis*  
*ita rectè dicitur*, quod in illa soleant autores de Deo agere.  
Non tamen Deum perfectè cognoscere facit, & prout in se  
est, sed quantum ex creaturis ejus potest haberi notitia, quæ &  
revelata est, minimè tamen cum Theologia supernè revelata  
comparanda ac ejus verbo æquiparanda est, maneat Meta-  
physica in circulo suo naturali, & de Deo in quantum ipse ex  
natura notus est, rebusq; divinis & abstractis mentibus seu in-

B

telli-



telligentijs doceat, ne mensuram suam excedendo fiat corruptela juventutis & scandalum.

XIX. Sic etiam dicitur ἀρχιτεκτονικὴ αὐτῆς aliarum scientiarum princeps ac Domina, 6. *Metaph. cap. 1.* quia in illas omnes regimen quasi quoddam obtinet, inque illam cognitionem nos dirigit, illisq; dignitate antecedit, earumq; principia confirmat.

XX. Neoterici vocant eam *catholicam*. Lullius & ejus ad scelæ, *Artem artium: Scientiam scientiarum* alij *aquibam*: alij *Reginam*: alij *Imperatricem*. Talis scilicet est, & si eam tollas, auferas cæterarum scientiarum principia, ut inquit *Alex. ad 10. Met. comm. 16.*

XXI. Præterea varijs insignitur *encomiis*; ubi cardo sapientiæ salutatur: item Dea ac patrona reliquarum disciplinarum, apex & culmen philosophiæ, quæ sola facit, ut homo sit nexus Dei & mundi, Horizon inter corporea & incorporea, *Javellus in præf. Metaph. Fonseca, Tom. 1. comm. Metaph.* Solis foetus, nubilorum perruptrix, divina sapientia, quæ omnia majestatem Metaphysicæ arguunt, indeq; nos in sui amorem incitare possunt, imò debent.

XXII. Hactenus fuit nominalis Metaphysicæ declaratio, circa quam & Etymologiam rei explicandæ lucem haut exiguam afferentem, & Synonymiam, istius rei dignitatem & magnitudinem gloriosè decantantem vidimus. Subsequitur nunc *ipsa definitio περὶ γυμνασιῶν*, quæ essentialiter repræsentat & exprimit esse Metaphysicæ.

XXIII. Ut ergo accuratè indagetur essentialis Metaphysicæ quidditas, eaq; per definitionem ejus essentialem repræsentetur: Primò supponimus: *Metaphysicam esse Ens certum, determinatum, esse sub certo genere seu in certo predicamento: Et quidem esse speciem specialissimam.* Quippe in aprico est, quod non dentur plures primæ philosophiæ differentes specie, naturâ aut differentiâ essentiali: sed Metaphysicæ numero saltem diffe-



differt, & gradibus, ubi una excellentior non raro existit, quam altera: utpote in Platone & Aristotele eadem est natura Metaphysicæ, sed in hoc perfectior, quam in illo. Intellige v. Metaphysicam sive primam philosophiam *veram*, non errores Metaphysicorum: aut Ramisticam Metaphysicam, quæ potius privatio est veræ Metaphysicæ, ut apparet in Systemate Metaphysico Timpleri: quod nihil minus continet, quam Metaphysicalia: Plenus scilicet absurdorum à natura Metaphysicæ nimio opere abhorrentium.

XXIV. Adde & hoc quod Metaphysica sit *conceptus definitibilis*, si namq; est prædicamentalis, poterit resolvi in duos conceptus, quorum unus est *determinabilis*, alter *determinans*. Tales scilicet sunt in omni creatura, vel in omni reprædicamentali. Etenim constant ex *aliquo communiore*, quod habet rationem *potentialitatis* sive materiæ, idemq; ex *aliquo æquali*, quod habet rationem *actus* sive formæ: Illud fundamentum *generis* exhibet, hoc *differentia* correspondet. Jam ubi dantur tales conceptus, in una re, ibi definitio locum invenit: quippe *definitio* nihil aliud est, quam *resolutio rei in latius & æquale*, puta essentialia, non denominativa, & quidem in essentialia, proxima, non remota. Genus est latius essentialia. Differentia æquale essentialia. Metaphysica quidem propriè non habet materiam, sed est purus actus, scilicet forma ipsa simplex, ipsa tamen analogon materiæ, ut & reliquis accidentibus verè competit, nempe habet in re ipsa aliquod commune, quod est de essentia ipsius; quod non incommodum dicitur *ratio materialis ejus*. Et hinc oritur Metaphysicæ conceptus determinabilis, qui logicè genus dicitur; dum insuper per superadditam differentiam limitatur aut contrahitur, ut mox apparebit.

XXV. Quia ergo Metaphysica defini potest, ejus *conceptus determinabilis* sive *genus Metaphysicæ* prius ordine investigabimus. Quod ut dextrè fiat, ita procedo. *Genus est ipsa essentia rei*

B 2

confu



*confusè, indifferenter aut incompletè accepta.* Ergo in eodem prædicamento est cum specie sive cum re ipsa distinctè & completè sumta. Jam *Metaphysica est accidens*, & quidem non, quantitas aut relatio, aut aliud quoddam ex posterioribus istis prædicamentis, sed est qualitas, ut facillè conceditur aut probatur. Est enim notitia quædam, secundum quam homo dicitur doctus & qualis & quia *notitia* est, erit in tertia aut quarta specie qualitatis, neq; etiam in secunda; ubi potentia naturales repræsentari solent: cum nemo à natura sit *Metaphysicus*; imò nec ulla notitia *Φύσει* insit. Ergo remanet *Metaphysicam esse habitum, sive notitiam habitualem & acquisitam*, cum magnâ industriâ, labore & curâ acquiratur.

XXVI. Sic ergo habemus, quod *Metaphysica sit habitus*. Igitur porro aut erit *instrumentalis*, aut *principalis*. Non est *instrumentalis*, quia suum in se finem continet; quia non propter aliud est, sed habet suas utilitates in se terminatas. Ergo *Metaphysica est habitus principalis*. Hic autem est vel *Theoreticus*, vel *practicus*. *Practicus extensive perficit mentem, & extra ad operationes progreditur*; qualis est ars & prudentia. *Metaphysica non ita se habet in intellectu, sed intensivè ipsum perficit*. Ergo non erit *practicus habitus*. Ergo neuter horum habituum erit: hoc est *Metaphysica neque ars est, neque prudentia*.

XXVII. Quod *prudentia non sit Metaphysica*, facillè patet. Ut enim prudentia est habitus *practicus & activus*: ita secundum rectam rationem agit, hoc est, honestatem in actiones humanas inducit & omnia ad virtutem vel vitam honestam refert. Verum *Metaphysica non intendit, quomodo honestè vivere debeamus, sed ad contemplationem omnia dirigit*. Planum ergo fit, *Metaphysicam non esse prudentiam: id quod omnes concedunt*.

XXVIII. Disceptant permulti ex Rami luto prodeuntes *de arte*, ipsamq; *Metaphysicæ* ceu genus attribuunt. Sed vel è dictis



dīctis constat, quam enormiter hīc, ut alibi, labantur Ramistæ. Quia enim *habitus practicus non est Metaphysica, quomodo ars erit*: cum omnis Ars sit practicus habitus, & species practici habitus. Forte species alicui competit, cui genus speciei istius non competit. Quod ego non credidero; nisi forsan Ramista homo sit, & non animal. Absurdum hoc enorme primum est, quod Ramistæ committunt, ubi Metaphysicam dicitant Artem.

XXIX. Quid quaeso est, quod nonnulli Ramicolæ (ut absurdaster ille Timplerus in suo libro Metaphysico) replicant *de arte contemplativa*? Sane *σοφία ἐπέχει* est. Ars non-Ars est: nempe oppositum est in appposito: Omnis contemplativa scientia à fine ita dicitur: At nullius artis finis est contempla- tio; nisi forsan omnes habitus intellectuales Ramistis sint unus specie habitus. O confusio quanta! ô peccatum Ramistarum quantum!

XXX. Nos omninò *Artem à reliquis habitibus distinguimus*, eamq; factivum habitum esse profiteamur, qui cum recta, *Arts requisita.* ratione est effectivus: qui agit in externam materiam, qui effectum producit extra se, qui indiget in effectione suâ instrumentis corporeis: ut rectè & distinctè de artis natura docent, *Aristoteles libro 6. Ethicorum c. 4. lib. 2. de gen. An. c. 1. item 2. phys. cap. 1. lib. 2. de part. Anim. cap. 1. Alex. Aphrod. 1. Metaph. Albert. Magn. in sex princip. Suarez in disput. Metaphys. 44. sect. 13. n. 20. & sequent.*

XXXI. Ita ergo facile apparet, quod Metaphysica neutiquam possit defini per artem, tanquam per genus. Etenim, objectum Metaphysicæ non est operabile, nec effectibile, nec in illud ullam formam artificialem inducit Metaphysica.

XXXII. Remoto jam habitu practico, cum neuter horum materialem sive genericam Metaphysicæ rationem absolvat, *de theoretico* disquirendum erit. Non dubium esse debet, quod *Metaphysica sit contemplativus habitus*. Est enim ejusmodi no-

B 3 titia,



titia, quæ ultimò acquiescit in nuda cognitione objecti proprii: nihilq; nisi cognitionem intendit. Theoreticus autem habitus est vel intelligentia, vel scientia, vel sapientia. Quinam horum trium Metaphysicæ genus sit, eruendum venit.

XXXIII. *De intelligentia* res non adeo est dubia. Hæc enim omnium consensu non est genus Metaphysicæ: cum hæc saltem principia agnoscat & extruat: Metaphysica verò & principia prima & inde ortas conclusiones exquirat. Sed de scientia & sapientia plurimum altercantur plurimi: qua de re infra in quæstionibus agemus fusius.

XXXIV. Hic breviter veritatem rei indagamus. Constat verò, quod *scientia* sit *cognitio Demonstrativa* per causam rei: scire enim est rem per causas cognoscere: ut philosophus accuratè docet *in 1. post. Analyt.* constat, quod scientia oriatur *ex demonstratione*, quod sit habitus *ex particularibus principiis* causatus: quod sit *notitia conclusionis*, non verò simul primorum principiorum. At *Metaphysica* longe aliter & altius se habet. Illa *universalis* est habitus, quia est universalissima disciplina, non verò particularis & determinata ad partem Entis, uti scientia ad Ens necessarium. Illa non est notitia conclusionum tantum, uti scientia, sed unà *ipsorum principiorum*, indagatrix illa non per demonstrationem agnoscit, sed *res Metaphysicæ altiori & certiori ratione nempe principiis primis infallibili & simplici intelligentiâ apprehensis, adstruuntur.* Illa non per causam cognoscit, sed simplicem rei essentiam scrutatur. Quomodo ergo rectè & definitivè Metaphysica sit aut dicatur scientia.

XXXV. Quia ergo Metaphysica neq; est ars, neq; prudentia, neq; intelligentia, neq; scientia, & tamen principalis mentis censetur habitus: Superest ut concludatur ipsam esse *sapientiam*. Alius enim habitus mentis præter recensitos non dabitur. *Sapientia igitur absolvet materialem Metaphysicæ rationem, quæ nobis investiganda erat.*

XXXVI. Sa-



XXXVI. *Sapientia ergo verum genus Metaphysica* constituet scilicet sapientia est essentialiter latius Metaphysicæ, & quidem tale, quod proximè & immediatè prædicetur in quid de Metaphysicâ. Et postmodum per specialem conditionem ad esse Metaphysicæ à propria differentia determinatur. Patet hoc apertè ex definitione sapientiæ, ejusque conditionibus *sapientia est scientia & intelligentia rerum præstantissimarum & honoratissimarum.* Metaphysica est scientia, videlicet conclusionum & intelligentia principiorum respectu, & quia Metaphysica est *ἡπιστήμη ἐχουσα κεφαλὴν*, scientia cum capite, etiam est habitus principiorum primorum & conclusionem, & ideò sapientia, quia hæc nihil aliud, quam cum capite (intelligentia) scientia in gradu excellentiori & excessu non confluxu. Ad hoc *competunt Metaphysica sapientia propria*, quorum sex i. Metaph. cap. 2. enumerantur. *Versatur Metaphysica circa omnia & in omnibus rebus.* Ens enim communissimè sumtum considerat: *Agit de rebus abstrusissimis*, difficilioribus & minus sensibilibus: *Est cognitio certissima*, quoad certitudinem subjecti, non autem demonstrationis, cum hæc Mathematica, illa Metaphysica, dicitur esse certissima. *Ad aperiendas rerum causas & docendum est aptissima*, quoad rerum subministrationem videlicet, non modum & ordinem, docendi Logicæ proprium. *Propter se & non alterius causa expetitur*, & cognoscitur cum in speculatione versatur. Tandem dominatur alijs & eas dirigit, ideoque nobilissima audit. Quomodo verò hæc singulæ conditiones conveniunt Metaphysicæ, prolixè disputant alij. Vide Suarez. disput. Metaph. i. illas his thesibus explicare nimis foret operosum, in collatione verò discutere minus tædiosum, breviter ita colligimus. *Cui competunt propria, adequata eidem & id, cujus est proprium; at qui conditiones sapientia competunt Metaphysicæ. Ergo & sapientia ipsa.*

XXXVII. In-



XXXVII. Invenio esse communi & genere legitimo Metaphysicæ constituto, consequens est, ut *esse proprium & specificum* inquiramus. Quod melius fieri non potest, quam si attentè respiciamus conditionem & naturam *habituum*. Quia enim jam certum est, Metaphysicam esse habitum & quidem sapientiam, exinde deducemur in distinctam Metaphysicæ cognitionem.

XXXVIII. *Natura habitus Theoretici* hæc est, ut habeat certum *objectum*, cuius *cognitione* habituali perficiat mentem: ut *ita esse proprium* habitus dependeat ab objecto suo proprio: indeq; & differentia propria desumatur. Objectum ergo nostri habitus theoretici, nempe Metaphysicæ, si obtinuerimus, ipsam essentiam Metaphysicæ distinctè cognoverimus.

XXXIX. Ut ergo objectum Metaphysicæ breviter, (ne theses nimirum excrecant) indagetur, ita procedo. *Objectum habitus aequè late patet cum suo habitu*. Ergo objectum Metaphysicæ non potest esse Ens particulare, sed erit universalissimum: cum Metaphysica sit disciplina universalissima, nempe *sapientia; sapientis autem est omnia noscere*. Ergo Ens erit. Hoc enim est universalissimum, quo non est latius, nec æquale ullum.

XL. Quod ipsum etiam facile patet. *Id enim est scientia alicujus objectum, cuius affectiones in illa scientia per tractantur: at omnes affectiones ex principiis proximis & adequatis pro manentes*, quarum contemplationem Metaphysica proponit, *competunt enti generalissime accepto, quâ ens est*. Unum namq; verum bonum, & prædicantur de Deo & creaturis, quatenus in genere entis conveniunt, unde etiam subjectum hoc non cum ipsa Metaphysica incepit, sed multò ante extitit, nec in ea hodiè, sed antea longè generatum. Præterea fuit & quoad significationē & rationis definitionem cognitum, ut unitatem convenientem speciebus inferioribus, rem consideratam & modum considerandi in se habens.

XLI. Notan-



XLII. Notandum verò, quod, ut in omni subjecto scientifico, duo considerari necesse est: & modus considerandi, & res considerata; (hoc se ut materia, illud ut forma habet,) Ita etiam hic considerandum est objectum formale, quod unicè est Ens abstractissimè sumtum, quatenus Ens est.

XLIII. Quoad materiale (quod rem consideratam tantummodo illius disciplinæ exprimit) non cum Logica modo, sed cum reliquis quodammodo scientijs realibus, quæ omnes Ens aliquod, aut partem Entis explicant, convenit hæc disciplina. Quoad formale autem, quod  $\tau\delta$  quatenus exprimit, hæc generalissima disciplina peculiariter essendi rationem sibi vendicat sub præcisiva & quiditativa consideratione Entis quale tale est. Ubi porrò notanda est vocula Quatenus.

XLIV. Dicitio illa *reduplicativa*  $\tau\delta$  *quatenus*, in quantum, sumitur dupliciter, reduplicativè & specificativè.

XLV. *Reduplicativè* & quidem I. quando illud quod sequitur immediate reduplicationem, *notatur esse causa formalis & præcisiva in hærentia prædicati ad subjectum*, id est, quando significat aliquid, quod convenit subjecto esse causam, cur illi conveniat prædicatum, seu, quando ipsa ratio formalis subjecti est causa, cur prædicatum subjecto tribuatur, ut *triangulus, in quantum triangulus, habet tres angulos duobus rectis æquales*. Nam hîc  $\tau\delta$  *triangulus*, qui sequitur  $\tau\delta$  in quantum, est formalis ratio & præcisiva in hærentia prædicati ad subjectum. Scilicet forma specifica trianguli est formalis & præcisiva ratio, quod habet tres angulos rectis duobus æquales, inest triangulo, & est passio adæquata, in hærens ipsi per se primo: Sic *homo in quantum est animal rationale, seu quatenus homo discipline capax est*, nam hîc  $\tau\delta$  *animal rationale*, seu homo quod sequitur  $\tau\delta$  in quantum, seu quatenus, est præcisiva ratio quod animal rationale seu homo sit capax disciplinæ, cum illa capacitas sit essentialis affectio, fluens à forma animalis rationalis, nempe à rationalitate. Sic animal, qua animal est, sentit, id est,



Id est, animal sub animalitate, quâ animal, sentit, nam quatenus illud reduplicat rationem formalem subjecti, eamque proprium attributum esse indicat.

XLV. 2. Quando *significat conditionem, sine qua non*, id est, sine qua prædicata non conveniunt subjectis, ut ignis qua ratione, seu quatenus propè est, calefacit.

*notat subjectum* XLVI. *Specificativè*, quando illud, quod sequitur reduplicationem immediatè accipitur tantum secundum suam, rationem formalem, sine præscissione causalitatis, inhærentiæ prædicati ad subjectum, id est, quando illud, quod reduplicationem immediatè sequitur, non est causa inhærentiæ prædicati ad subjectum, sed notat saltem in subjecto rationem, secundum quam & cum qua ipsi prædicata conveniunt. Homo in quantum homo est albus, hîc τὸ homo, qui sequitur τὸ in quantum, non est causa formalis inhærentiæ prædicati ad subjectum, alioquin omnis homo necessariò esset albus, sed accipitur tantum secundum formalem suam rationem, sine præscissione causalitatis, ut sit sensus. Homo in quantum homo, id est, illud, quod est homo, est albus. Isto enim modo in quantum solum specificat, non reduplicat subjectum. Sic Homo quatenus bipes, ambulat. Johannes quâ capillos habet, corpus est. Homo quâ corpus naturale est, in physica consideratur.

XLVII. *Javellus proponit hæc lib. 1. Metaph. q. 1. p. 1. his verbis. Reduplicativè tenetur; quando reduplicat rationem formalem termini cui apponitur, ut homo in quantum homo intelligit, id est, homo sub ratione quâ homo intelligit, si enim dicatur homo, quâ sentit, falsum est, quoniam non in quantum homo, sed in quantum animal sentit. Specificativè tenetur, quando modificat terminum, cui apponitur, non autem relinquit terminum cui apponitur in sua ratione formali absolutè sumta, sed restringit.*

XLVIII. Hoc loco neq; sumitur significativè, neq; reduplicativè posteriori, sed *priori modo*, ut sit sensus. *Metaphysica considerat ens, quâ ens, b. e. quatenus essentiã habet, & quâ revera est.* Nam quemadmodum in hac enunciatione. Homo quatenus  
homo.



homo, est disciplinae capax, illud nempe quatenus dicit cau-  
sam & rationem cur praedicatum illud, esse disciplinae capace,  
homini ut subjecto insit: Sic quando dico ens quatenus ens est  
subjectum Metaphysices, illud nempe quatenus ens dicit ra-  
tionem, & causam cur praedicatum, scilicet subjectum Meta-  
physices, enti ut subjecto in hac enunciatione attribuatur. A-  
liud enim est considerare Ens ut Ens est, & aliud est considera-  
re ut tale vel tale est, vel quatenus Ens certo modo est, disci-  
plinæ particulares considerant quidem Ens, sed cum restri-  
ctione quatenus ens est tale vel tale; vel corpus, vel Spiritus,  
&c.

XLIX. Hinc ergo tenendum est Metaphysicam evolvere  
ens, quatenus tale, ita ut *τὸ quatenus ens* sit ratio formalis legiti-  
tima subjecti Metaphysici: ubi *τὸ quatenus insinuat. 1. Ens consi-*  
*derari ut est abstractum ab omni quidditate particulari & singu-*  
*lari. 2. Excludi omnium entium congeriem, quod scilicet non o-*  
*mnne Ens* sit objectum Metaphysice, sed *Ens quatenus ens*. Distin-  
ctæ scilicet sunt propositiones & diversæ: *Ens est objectum: &*  
*omne Ens est objectum. Illa hic est vera. Hæc non item, ut ex*  
doctrina parvorum Logical. facile constat.

L. Quod autem *non alia formalis ratio entis* in considera-  
tione Metaphysica sit, inde est, quia *generalissimum objectum*,  
(quod sine omni dubio est objectum primæ ceu universalissi-  
mæ scientiæ, ut in præcedentibus probatum) *necessario debet*  
*esse abstractissimum* ab omnibus particularibus. Ergo debet su-  
mi, non quatenus hoc vel illud est, sed in universali, & secun-  
dum se, ut sic, quatenus ens. *Sic Metaphysicam* constituit, eamq;  
ab omnibus aliis distinguit. *Constituit*, quia percepta notione  
Entis, ut sic, vel qua ens menti nostræ unus conceptus & præ-  
scisus isq; universalissimus repræsentatur. *Distinguit*, quia nul-  
la alia contemplatur ens, qua ens est.

LI. Objectum hoc Metaphysicæ, ens qua ens, *non est ope-*  
*rabile*. Nihil n. facultatis homo habet in essentiam, ut eam vel  
mutet, vel pro arbitrio verset: Ergo erit *contemplabile*. Solaq;  
cogni-



cognitione perficiet intellectum. Jam ergo habemus *formalem Metaphysicam rationem*, quæ erit, (ut è dictis per se fluit) *contemplari ens, quatenus ens* est. Hæc enim contemplatio entis, ut tale, mentem ita perficit, ut statim habitum universalissimæ disciplinæ inchoet, generetve: adeoq; & Metaphysicam constituat, quæ nihil aliud est, quam habitus mentis de ente, qua tale est.

LII. Quibus omnibus expeditis innotescit facilè *quiditas essentialis Metaphysicæ*, sive definitio ejus vera & essentialis. Suâ sponte è dictis fluit talis definitio. *Metaphysica est sapientia de ente, quatenus ens est*, vel, quod idem plane est. *Metaphysica est sapientia, contemplans ens, quatenus tale est, & qua ei per se insunt*. Vide exerc. & part. Met. Cl. Dn. Jac. Mart. ut & alia ejus scripta Met. item Dn. Gutk. in contemp. Met. d. I. Dn. Arnifæum, Cornel. Mart. &c.

LIII. Fuit ita & definitio Metaphysicæ: paucis *de divisione* notabis, quod ens, qua ens, possit considerari vel *generaliter* in suo conceptu & affectionibus generalissimis, vel *quasi specialiter*, (cum proportionem loquimur) ut contrahitur per modos specialiores. Quia ergo ubiq; generalia generaliter sunt tractanda, & specialia specialiter, hîc etiam idem in Metaphysica observari debet. Ergo *Metaphysica rectè dividetur in partem generalem, & specialem*, ita ut contemplatio entis sit vel generalis, vel specialis ut è subsequentibus disputationibus *ov. Deo* magis magisq; constabit. Hactenus theses fuerunt: nunc de Metaphysicæ usu quædam seorsim placet monere.

### *Usus & Abusus Metaphysicæ.*

**O** Sores hujus nostræ scientiæ usq; quaq; crepant, nihili plane esse Metaphysicam, nullamq; habere utilitatem aut usum; idcirco ut iniqui ejusmodi clamores apertè confundantur & pudefiant, id etiam operæ in singulis disputationibus adhibebimus, ut usum Metaphysicæ, ejusq; abusum pro re nata & pro modulo ingenioli nostri apponamus: scilicet ut  
iste



iste contra adversarios urgeatur. Hic evitetur, ne quicquam  
Metaphysicæ majestati aut sanctitati deccedat. Hic ergo in ge-  
nere primum de Metaphysicæ usu ita habe. *Usus Metaphysica,*  
sive illum secundum se sumas, sive talem, qualem vulgo utili-  
tatem hac tempestate requirunt, licet non cuivis obvius, *am-*  
*plissimus* tamen iste est, & major quam in ulla alia disciplina  
philosophica. Est autem vel *directus*, vel *indirectus*. *Usus dire-*  
*ctus dicitur, qui directè Metaphysicæ cognitionem insequitur.* Itq;  
est vel absolutus, ut loquuntur, vel respectivus. *Usus Metaphy-*  
*sicæ absolutus* dicitur, quem in se se obtinet. Unde non incom-  
mode istum vocavero *internum*, eò quod intra terminos suos  
consistens, illum exerat. Hic usus Metaphysicæ maximè insi-  
gnis est, sic enim informat, imbuit & perficit intellectum no-  
strum cognitione rerum *maximè universalium*; purificat  
ipsum ab ignorantia foedissima prædicatorum generalissimo-  
rum; repræsentat, & primit menti notitiam sive quiddita-  
tem terminorum communissimorum, quorum usus & cogni-  
tio ubiq; requiritur; quales sunt Ens, unum, verum, bonum,  
principium, causa, necessarium, contingens, Actus, potentia,  
diversum, idem, infinitum, finitum; dependens, independens,  
corruptibile, incorruptibile, creatum, increatum, perfectum,  
imperfectum, naturale, artificiale, absolutum, respectivum,  
&c. Item porro declarat quid sit substantia, quid accidens,  
quid individuum, quid suppositum, quid persona, quid quan-  
titas, quid qualitas, habitus, relatio, &c. Horum omnium ter-  
minorum, & aliorum per plurimorum universalium, accura-  
tam distinctamq; notitiam, unica hæc nostra sapientia, Meta-  
physica, exhibet. Licet verò naturaliter quandoq; quivis pos-  
sit aliquam horum, communium prædicatorum habere  
cognitionem; dum etiam Metaphysicæ ignarus aliquo mo-  
dò intueri possit omnes res, quod sint aliquid, item quid sit  
unum, bonum, &c. attamen *accuratam & distinctam cognitio-*  
*nem horum terminorum nunquam adsequeris sine habitu Meta-*  
*physicæ.*



*physica*: Et quid? Uti hisce terminis quis poterit sine cognitione abstractâ Metaphysicâ? Potissimum hoc est & palmarium, quod *beneficio habitus Metaphysici mens judicare queat, de vero usu terminorum generalissimorum, de perfectione rerum, de formali abstractione, & de legitimâ applicatione eorundem terminorum*; Ita ut perfectè, distinctèq; quoad fieri potest, intellectus noster intelligat universalissimos & communissimos terminos, itemq; altissima & prima principia, juvatur ab habitu hoc nostro Metaphysico. Porro *respectivus Metaphysicæ usus est*, qui respicit alias disciplinas & facultates. Unde cum non in scitè vocavero *externum*, eò, quod in alijs extra quasi exerat, ubi insuper Metaphysica juvat & perficit intellectum in cognitione rerum particularium, quam in alijs scientijs quærimus, utpote in Physica, Pneumatica, Intelligentia, Mathematici, &c. Variè autem hic usus Metaphysicæ se commendat. Nam primò insignis & multiplex utilitas Metaphysicæ patet *ex declaratione illorum terminorum communissimorum*, qui frequenter occurrunt in particularibus scientijs. Etenim constat ex 4. Metaph. quod aliæ philosophiæ partes agant saltem de parte entis quadam, sive de hoc vel illo ente. Non verò potest hoc vel illud ens cognosci, nisi dependenter ad cognitionem entis simplicis: Sicuti non potest homo cognosci distinctè; nisi cognito animali, & animal nequit cognosci, nisi cognito corpore: *Ita nequit cognosci distinctè ullum ens in particulari, nisi cognito ente*, ijsq; quæ ad ipsum pertinent in genere. Sic in physica motus dicitur *actus*: Anima describitur *per actum primum*, &c. Sic in Theologiâ quæritur. An peccatum originis sit *substantia*, an verò *accidens*: An personæ Trinitatis *differant realiter*, an verò *modaliter*, An Sacramenta sint *signa*, & similia infinita alia. Hæc omnia quomodo intelliges, nisi ex Metaphysicâ didiceris, quid sit *Actus*, quid *actus primus*, quid *substantia*, quid *distinctio realis & modalis*, quid *signa*, &c. Horum quippe terminorum explicationem sola  
exhibet



exhibet Metaphysica. Uti hunc usum Metaphysicæ amplissimum accuratè explicat & amplificat *Cl. Dn. Arnisaus in tractatu de constitutione Metaphysicæ. Dn. Cornelius Martini in prefat. Metaph.* Imprimis hic urgemus contra insanos calumniatores autoritatem *B. Gesneri, qui usum Metaphysicæ in Theologia prolixè satis demonstrat in prefat. ad Metaph. versoris.* Aristoteles etiam apertè docet, quod hæc nostra Metaphysica sit valde utilis ad acquirendas reliquas scientias; ubi *1. Metaph. 2. & lib. 3. cap. 1. ait, reliquas scientias ministrare sapientia, ipsam verò aliis præesse, & subdit Metaphysicam ejusmodi esse respectu aliarum scientiarum, quod hæc de præstantissimis rebus, & de primis rerum causis ac de ultimo fine ac summo bono disputat:* Addit etiam *1. post. Analyt. cap. 7. Metaphysicam solam versari circa prima principia reliquarum scientiarum.* Unde *Thomas in 2. disput. 24. quest. 2. cap. 2. ait, Metaphysicam dirigere alias scientias. Suarez. disp. 1. s. 4.* ita probat hunc usum Metaphysicæ. Quia hæc scientia considerat supremas entium rationes & universalissimas proprietates, & propriam rationem essentia & esse & omnes modos distinctionis qui sunt in rebus: at sine horum omnium distinctâ cognitione non potest perfecta particularium rerum cognitio haberi: Quod experimento etiam cognosci potest. Omnes enim alia scientia sepe utuntur principiis Metaphysicæ, aut ea supponunt, ut in suis demonstrationibus vel ratiocinationibus progredi possint, unde sepe contingit ex ignorantia Metaphysicæ in aliis scientiis errari: sed breviter ita tene, Metaphysica est utilis ad alias scientias perfectè addiscendas, non ut medium ad illas ordinatum, sed ut causa superior & eminentior influens suo modo in inferiores disciplinas.

Deinde uberrimus usus Metaphysicæ exinde conspicitur, quod constituat & determinet objecta reliquarum disciplinarum, quem usum infra in parte speciali ὀφθαλμοφανῶς demonstrabimus; quod deniq; demonstret probetve objecta inferiorum disciplinarum, quem usum rectè declarat *Thomas Rhædus:*



*Rhædus Scotus in pervig. Luna,* plura qui hoc usū desiderat, videat *Suarez. disp. 1. sect. 4.*

*Ufus indirectus* Metaphysicæ dicitur, qui non directè ex ipsius Metaphysicæ natura fluit, sed ex hominum intentione: Et ita *quasi ex accidente* est, & pro arbitrij Metaphysici hujus vel illius variat. Sic hodie multi addiscunt primam hanc philosophiam, non ut theoriam entis persequantur, sed ut hac ad suas facultates accuratius cognoscendas utantur. Licet enim prima philosophia non sit ex illarum artium numero, quæ ob utilitatem per se admetur, aut quæ loculum imprægnat, aut faccos pecuniarios distendat; sed talis, quæ in se *ἀυτάγουσα* suam continet; in literaturâ tamen accuratâ hoc tempore non immeritò *if e* usus spectatur à quovis veritatis studioso. Sic in decidendis Theologorum controversiis omninò sanè accire oportet operam Metaphysicæ, ut scilicet hujus ope illustretur veritas, & adversarii confundantur: ut si quis resurrectionem mortuorum statueret impossibilem: iste sanè ex principiis Metaphysicis confundi vehementer posset.

Deniq; *de abusu* primæ philosophiæ ut multa hîc in genere dicantur non opus esse censeo. Satis, proh dolor, experimur, quomodo hîc multi & *in excessu* & *in defectu labantur.* Quod enim aliàs dicere solent: Quo quid est in usu præstantius, eò peiores habeat abusus: id non minus etiam verum est in optimâ hac prima philosophiâ. Dignitas & necessitas est maxima: abusus ejus pessimus. Hæretici illa abutuntur, eamq; variè depravant; dum partim ipsi nimium tribuunt, & dominium quasi concedunt, in sacratissima Theologiæ mysteria, contra omnem ipsius intentionem; partim vim, injuriamq; insignem ipsi inferunt malè usurpando, pessimè applicando: uti luculentissimè in Photinianis & Calvinianis apparet. Nos ergo hîc semper & ubiq; auream mediocritatem observantes Metaphysicæ ne nimium tribuamus ipsi, ut ancillam in theologiæ choro; ne parum nimis, ut Dominam in philosophiæ foro



foro venerabimur. Quod ut adsequamur piè vereq;, Deus omnis sapientiæ autor & fundus in nostris contemplationibus futuris gratiosè & efficaciter adsit, præsitq;, humiliter oramus, exoramus.

## A XI O M A T A.

1. *Metaphysica est prima philosophia.* Arist. lib. 3. Metaph. cap. 2. & lib. 5. Metaph. cap. 1. item lib. 1. phys. cap. 9. Quia in primo scibili in ente abstractissimè sumto desudat; quia prima principia, primasq; causas ostendit; quia primas rerum quiditates, terminosq; per omnes disciplinas diffusos explanat. Dicitur autem Metaphysica hoc nomine non quod prima sit ratione inventionis, aut doctrinæ. Sic enim rectius postrema & ultima dicitur, cum longè post reliquarum disciplinarum inventionem sit distinctè inventa & tradita, cumq; etiam non prima vice inter disciplinas philosophicas sit addiscenda, sed post physicam demum, ut rectè statuit Clariss. Dn. Gutkuis: verum Metaphysica dicitur prima philosophia ratione objecti sui, quod est omnium primum, & ordine naturæ ac dignitatis inter omnes scientias meritò prima deprædicatur. Vide Exerc. Met. Dn. Jacob. Mart. lib. 1. Exerc. 2. theor 2.

2. *Metaphysica est cardo sapientiæ & cognitionis perfectio.* Ne stultus ille visitator Schillingius nequiter iterum ogganniat, dicimus, quod Metaphysica non sit simpliciter cognitionis perfectio: sed in certa determinatione, limitatione & relatione ad inferiores disciplinas philosophicas. Scimus etiam, quod sapientiæ natura sit analoga & competat etiam aliquali respectu aliis disciplinis: Interim tamen πρώτης Metaphysicæ, unde κατ' ἐξοχήν ducit titulum sapientiæ: cum excellentiori modo sint in illa conclusiones & principia quam in aliis scientiis.

3. *Metaphysica est magis desiderabilis aliis scientiis.* Ex Aristot. 1. Metaphys. cap. 1. & 2. item lib. 6. Met. cap. 1. vide Suarez-

D

tium



tium hac de re prolixè disputantem disputat. i. Metaphys.  
sect. 6.

4. *Metaphysica scientia non debet judicari humana.* Arist.  
lib. i. Metaph. c. 2. ita loquitur.  $\sigma\alpha\iota\ \alpha\upsilon\theta\epsilon\gamma\omega\pi\acute{\iota}\eta\ \nu\omicron\upsilon\mu\acute{\iota}\zeta\omicron\iota\tau\omicron\ \alpha\upsilon\tau\acute{\eta}\varsigma$  (nempe primæ sapientiæ)  $\eta\ \kappa\tau\eta\sigma\iota\varsigma$ . Natura enim hominum impletisque serva est. Vide ipsum.

5. *Metaphysica sola suimet causa est & sola libera.* Arist.  
i. Metaph. c. 2. Scilicet est prima philosophia, & independens in genere scientiarum philosophicarum.

6. *Metaphysica scientia est posterior viâ doctrine, sed est prima secundum naturam.* Averr. 6. Metaph. Patet veritas hujus effati è thesibus. Rectè Albertus Magnus in phys. i. tract. i. cap. i. docet. Metaphysica est prima inter philosophiæ naturalis partes secundum ordinem rei, quæ est universalis de ente, secundum quod ens est, quod non concipitur cum motu & materia sensibili secundum sua principia, nec secundum esse, nec secundum rationem.

7. *Metaphysico incumbit disputare contra negantes primas propositiones & destruentes scire.* Averroes 4. Metaph. th. 10. com. 1. Scilicet ubi adversarius pertinaciter negabit principia prima, illorum veritatis adstruenda est, quod fieri non potest nisi à sapiente. Quomodo autem id fieri possit, vide apud Suaretium disp. i. sect. 4. n. 12.

8. *Metaphysica contemplatur ens, quatenus ens est.* Aristoteles 3. Metaph. item 5. Metaph. c. 1. & alibi passim ait, philosophiam primam speculari de ente quatenus Ens. Ubi notatur ait, *quatenus Ens.* Non enim sufficit scire, quod objectum Metaphysicæ sit Ens, h. e. conceptus ille primus, qui positivè in intellectu est. Sic enim saltem materiale objecti Metaphysici exprimitur: sed modus considerandi addendus est quomodo scilicet illud ens cōsideretur in Metaphysica: Ubi accuratè docet philosophus, quod Metaphysica contēpletur  $\omicron\upsilon\ \eta\ \omicron\upsilon$ . Quod ut intelligas; hinc notabis. i. quod particula *quatenus reduplicativè acci-*



*pe accipiatur non specificativè, ut in thesibus explicatum est.*  
*2. Ens hoc loco sumitur simplici suppositione, non personali, h. e.*  
Ens, prout est objectum Metaphysicæ, non est determinatum,  
&c. *3. Observabis quid sit agere de ente, quatenus ens est.* Nos  
ita rem dilucidè explicamus. Agere de Ente reduplicativè  
sumto, est agere de ipsâ interna essentiâ, vel explicare ipsam  
quidditatem entis, abstractè, præcisè, & in se sumti inquiren-  
do ea, quæ ipsi propterea, quia ens est, competunt: nempe in-  
quirendo in ipsam essentialem entis rationem, & in principia  
ejusdem, an haberi queant, & qualia Ens habeat; in affectiones  
entis unitas disjunctasq; & in ipsas entis species vel analogata.  
Non secus ac physicus agit de corpore naturali, quatenus tale  
nihil est aliud, quam agere de quidditate & interna essentia cor-  
poris naturalis, inquirendo nempe, quænam sit essentia cor-  
poris; qualia habeat principia & externa & interna, quales  
affectiones, & deniq; inquirendo in ipsas corporis naturalis  
species, quod sit vel simplex, vel mixtum, &c. Ita ergo manife-  
stum evadit, quomodo Metaphysica versetur circa ens quate-  
nus ens est.

*9. Metaphysica quodam modo novit omnia.* Arist. i. Meta-  
phys. c. 2. Sapientia enim est & maximè universalis disciplina,  
sed attendes, quod duplici modo circa omnia versari, aut o-  
mnia noscere possit, vel ut attingat omnia in particulari, vel  
ut attingat omnia, prout induunt entis naturam. Hinc Meta-  
physica tanquam universalissima disciplina utroq; modo ver-  
satur circa omnia. Primum confuse & communiter confide-  
rando Ens universalissimè sumtum, partim etiam agendo de  
communissimis causis, in quarum potestate cetera continen-  
tur: vel ut loquitur Dn. Jacob. Mart. in exer. Metaph. Exer. i.  
theor. 2. Metaphysica primum versatur circa omnia quat. a-  
git de rationibus. Entis communibus, sive sit substantia, sive  
accidens, sive sint prima principia & universalissima, in qui-  
bus omnibus reliquarum scientiarum principia suo modo



Sunt fundata. Deinde particulariter agit Metaphysica de rebus omnibus usq; ad differentias proprias & species, qua de re prolixè disputat Suarez. disp. Metaph. 1. sect. 2. & sect. 5. Breviter sic habe: Metaphysica versatur circa omnia, & ita considerat quidditates omnium rerum secundum rationes generales & transcendentis primorum generum, non autem secundum rationes specificas & individuales propriorum generum & specierum.

10. *Metaphysica cognoscit omnia in universali*: Quippe universalissima disciplina, quæ considerat Ens, prout abstractissimè & communissimè sumitur: non ens aliquod determinatū, sed absolutè ens, quatenus ens est, contemplatur Metaphysica. Unde omnia cognoscit, sed in universali. Distingua-  
mus enim oportet hic accuratius inter rem ipsam, quam con-  
siderat Metaphysica, & modum, quo considerat illam rem. Priore sensu Metaphysica se extendit ad omne ens, & ne imperfectè ac confusè id fiat, Entis quoq; quasi species & quasi affectionis non præterit. Sed posteriore sensu quando quæritur de modo considerandi, tum constat, quod Metaphysica contemplatur ens, non prout tale vel tale est in particulari, sed quatenus ens est, & hoc est considerare ens in universali. Quod dico, hoc est, Metaphysica contemplatur entia tam universalialia quàm particularia, (vel etiam singularia) verum non sub propriis eorum rationibus, sed sub ratione entis considerat. Sic considerat entitatem in Deo, in angelis, in cœlo, in corporib. mixtis, in homine, in magnitudine, in figuris, in numeris, in actionibus honestis, &c. Sed illa omnia non considerat secundum particulares quidditates, quas habent proprias, verum entitatem in ipsis expendit, entisque affectiones in ipsis.

11. *Metaphysica non est confluxus omnium disciplinarum.* Licet enim omnia considerat & illa ipsa, quæ inferiores discipline evolvunt exactius: illa tamen non ita considerat, ut istæ, sed



sed longè alio & eminentiori modo: nec descendit ad expli-  
cationem proprietatum quæ enti particulari ob suam pro-  
priam particularem naturam conveniunt.

12. *Metaphysica principis sublatis, auferuntur item cate-  
rarum scientiarum principia.* Alex. Aphrod. in 10. Metaphys.  
comm. 16. quia scilicet Metaphysica est prima scientia: & qua-  
si caput omnium aliarum: Unde etiam reliquæ ita dependent  
ab illâ, ut sine ope Metaphysicæ perfectè consistere neque-  
ant.

## QUÆSTIO I. CONTROVERSA.

### *An Genus Metaphysicæ sit ars?*

CUM à tramite veritatis, ut fieri solet, ubi orbitæ, sunt multæ  
nec pauca diverticula, pleriq; exorbitarint ac deviârint;  
instituentæ sunt quæstiones, contrariorum ac falsorum refu-  
tationes, verorum confirmationes: inde nostræ assertio nis, ut  
pateat veritas & firmitas, nec vitrearum quarundam argutia-  
rum, quibus sibi multum acuti videntur ac nitidi, lateat falsi-  
tas ac imbecillitas. Sit ergo quæstio prima: *An Genus Metaphy-  
sica sit ars*, quam, ut reliquas, secundum falsitatem & verita-  
tem considerabimus. *Affirmativam*, ut falsam tenent, *Timplo-  
rus, Keckermannus & alii Ramista*, qui inter eos Metaphysicam  
admittunt, rationes ob sequentes.

I. *Ars est systema præceptorum usu cognitorum ad finem in-  
vita utilem. Metaphysica est Systema præceptorum, &c. E.*

Resp. I. Cum Clarissimo Dn. Jacobo Martini ad Majo-  
rem, negando definitionem artis; nam 1. species definita & ge-  
nus sint ejusdem prædicamenti. Jam verò ars est in qualitate,  
in quantitate genus. Nam Systema est collectio præceptorum,  
quæ collectio est numerus. 2. in quo subjecto est ars, in eo sit  
artis genus, nam ad ejus constitutionem essentialem spectat.  
At Systema præceptorum est in libro, ars in mente, est enim



habitus mentis. E. in diverso prædicamento. 3. Species & genus debent esse in eodem subjecto; jam ars est in intellectu, notitia præceptorum in memoria. In partitionibus sect. 1. q. 2.

2. Posita non concessa majore, minor non est vera. Metaphysica enim per accidens est Systema præceptorum: omnis verò legitima definitio quidditatem & essentiam propriam, definiti, non accidentariam exprimere debet.

3. Nihil hic esset absurdus, quam hac ratione si concederetur Metaphysicam esse artem. Nam & omnes habitus essent artes, scientia, prudentia, sapientia, intelligentia, & nescio quid non esset ars. Omnia esset ars, quia comprehendi possunt Systemate præceptorum.

*II. Ubi varia artis acceptio, ibi quadam acceptione potest Metaphysica dici ars; at qui varia artis est acceptio, nam sumitur tripliciter 1. quatenus à natura contra distinguitur, proinde artificiosè ea dicuntur fieri, quæ melius fiunt, quam si solum per naturam fierent 2. quatenus sumitur à Luciano 3. quatenus ab Aristotele lib. 6. Eth. c. 4. Ἡ ἐξ ἑστὶ μετὰ τὸ λόγῳ ἀληθῆς ποιητικῆ. E.*

Resp. Quod ita considerari possit, non negamus, quod verò rectè definiatur, pernegamus: quippe res in suâ essentia considerari debet, non diverso modo & respectu, quoad diversum respectum unius rei infinitæ definitiones dari queunt, dici quidem priori acceptione ars Metaphysica potest, fortè & contemplativa, quia naturâ est aliquid sublimius, sed non definitive & essentialiter.

*III. Ex quo redditur ratio rei artificiosæ, illud est ars. Ex comprehensione Metaphysicæ redditur ratio rei artificiosæ, E. de rebus Metaphysicis.*

Resp. Est ars quatenus natura contra distinguitur, non tamen tale genus, quod inquirimus est id, ex quo Metaphysica defini potest. Ars enim valde remotè prædicatur de Metaphysica. Est autem contra bonitatem definitionis, si ea per remotum genus fiat. Deinde concedimus libenter, quod potest  
est



est considerari Systematicè, quatenus ejus esse consistit in legitima præceptorum collectione, & iccirco esse artem, tamen minus rectè, uti ostensum. Rectissimè autem habitualiter, quatenus consideratur accidens mentis & per habitum rectissimè definitur.

Nos pro falsitate & distinctione artis ita concludimus ulterius.

1. Quicumq; transfiliens genera, id est, ex genere remoto definit, peccat Aristot. lib. 6. Top. c. 4. Ramæi hoc faciunt. Nam ars omnibus disciplinis competit & artibus. E.

2. A quo denominatur artifex, illud est ars; atqui non à comprehensione præceptorum, sed ab habitu denominatur artifex. E. comprehensio præceptorum non est ars, sed est habitus.

3. Ars est habitus effectivus. Comprehensio præceptorum non est habitus. E.

4. Quodcumq; extra se aliquid molitur & materiæ corporeæ novam formam visibilem induit, illud est ars. Nam τέχνη à τίντω est, quod est, fabrico; atqui Metaphys. hoc non facit. E.

5. Ars debet esse ad finem utilem in vita, i. e. ad usum civilem; Metaphysica ad finem in vita utilem non est, quia est libera. E. nec ars.

6. Quæ operatio non fit extra intellectum, non est ars; Metaphysica non fit extra intellectum. E. non est ars.

His paulò altiùs consideratis de quæstione hac non rectè sensisse quilibet cordatus nullo negotio judicare poterit.

## QUÆSTIO II.

### *An Genus Metaphysicæ sit sapientia?*

Licet magna & satis ardua sit altercatio, an sapientia valeat esse genus Metaphysicæ, & magnus disputandi campus  
osten-



ostendat, tamen in hunc campum non est nobis equus admissis habentis agendus, breviter tamen contraria audiemus veritatem subnecturi. Negantes ita concludunt.

*I. Cui repugnat esse in pluribus seu, cui deest aptitudo essendi in pluribus, id genus esse non potest, ad minimum enim habere debet communitatem aptitudinalem, si non actualem, secundum quam aptum natum sit in suis speciebus vel individuis. Atqui sapientia repugnat aptitudo essendi in pluribus. E.*

Resp. 1. Ad majorē, veram eam esse de genere formaliter sumto, non verò materialiter, ut species materialiter in individuo non formaliter, potest conservari.

2. Nego minorem. Non tantum Metaphysica est species sapientia, sed etiam philosophia theoretica & Theologia.

*II. Omne genus latius est sua specie. Atqui sapientia non est latior Metaphysica. E.*

Resp. Ad minorem. 1. Licet enim sapientia per realem existentiam prædicetur de una specie, attamen per non repugnantiam de pluribus prædicari aptum est: nam sapientia, sicut & omne genus, considerari potest dupliciter 1. ratione suæ existentia seu totius perfectionis, 2. ratione aptitudinis & potestatis, per quam aptum est de pluribus prædicari. Priori modo sapientia prædicatur de sola Metaphysica; tanq. potiss. analogato. posteriori de pluribus speciebus saltem per non repugnantiam. Etsi verò multos habet hydra hæc propugnatores & sui studiosos, nos veritatis studiosissimi illam reiicimus.

1. Quæ de se invicem prædicantur aut omninò sunt Synonyma, aut unum prædicatur ut genus de specie, aut species de individuo, aut ut differentia, aut proprium, aut accidens. Atqui sapientia Metaphysicæ tribuitur. E.

Horum modorum uno sapientia de Metaphysica prædicatur, unum & idem non sunt, ut patet è dictis.

2. Quicquid habet latitudinem de pluribus differentibus specie prædicandi in quid, illud illorum genus est. Atqui sapientia

piencia



scientia aptitudinem habet de pluribus differentibus specie,  
prædicari in quid. Nam Theologia, Philos. Theoretica, Meta-  
physica & physica distinguuntur specie, de hisce prædicatur  
scientia in quid, nõ quidem perfectè, sed *ως ἐν ἑκῆ ἀφ' ἐνὸς*  
ab uno ad unum analogicè, ut uni rei (Theologiæ) pri-  
mariò, alteri (Philosophiæ Theoreticæ, & Physicæ)  
secundariò tribuitur, cum igitur & in reliquis philosophiæ  
partibus reperiuntur principia & conclusiones, scientiæ  
vox illis tribuitur, sed aliquali respectu, non primariò ut  
Theologiæ, & tale genus sufficit in accidentium definitioni-  
bus. Jam in illis vix perfecta univocatio invenietur. E. illo-  
rum genus est.

3. Illi, qui volunt genus Metaphysices esse scientiam, ad-  
ferunt id, quod negant. Dicunt enim scientiam, tum cum Me-  
taphysicæ genus est, significare habitum in principiis & con-  
clusionibus occupatum, quod & nos libenter concedimus. Sic  
enim implicat simul notitiam principiorum, & nihil aliud est  
quam scientia cum capite, quæ nihil aliud, quam scientia,  
quippe non continens notitiam conclusionum præscisis  
principiis, sed & principia & conclusiones conjunctum in-  
quirens & hoc modo, si quis definit Metaphysicam, scientiam  
cum capite, hoc est, scientiam, non repugnamus.

### QUÆSTIO III.

#### *An Genus Metaphysica sit scientia?*

Num verum sit, quod nonnulli suo quodam privilegio,  
quod volunt, sumunt, quod non volunt, rejiciunt, videamus.  
De Metaphysica enim dicunt, quod sit scientia, & non, ut illis  
videtur, sine rationibus firmissimis.

1. *Cujus finis est cognitio & speculatio, illud est scientia: at-  
qui Metaphysices finis est cognitio & speculatio. E.*

E

Resp.





Resp. Ad majorem quod non universaliter vera, cum non scientiæ tantum, sed & intelligentiæ & scientiæ finis sit contemplatio.

2. *Quicquid cognoscitur per demonstrationem, cognoscitur scientificè. Nam scientia est demonstrationis effectus. Atqui proprietates entium cognoscuntur per demonstrationem. E. scientificè.*

Resp. Ad minorem negando, Metaphysicam talem formam habere. Nam in omni demonstratione propriè ita dictâ, causa, subjectum, & affectiones, debent realiter esse distincta: quod hic ubiq; nō contingit; adde, quod affectiones hęc nō sint propriè affectiones, sed modi. Argumentatio quidem Demonstrationem κατ' ἀναλογίαν imitatur, attamen in sua naturâ demonstrationem transcendit, cum termini hi adhuc fortius uniantur quam demonstratio aliàs requirit.

3. *Cui competit proprium, eidem & id, cujus est proprium; atqui Metaphysice competit proprium scientiæ quod triplex 1. n. datur ejus subjectum 2. proprietas subjecti 3. proprietatis per causas cognitio. E.*

Resp. 1. Nos non negare Metaphysicam scientiam esse & scientiæ ingenium & naturam inducere. Est enim sapientia, quæ ex intelligentia & scientia constat, verum quod scientia sit genus hoc negatur.

2. Quod vocabulum scientiæ dupliciter sumatur, ut notat Suar. d. 1. s. d. 52. 1. Genericè & improprie significatq; habitum per demonstrationem acquisitum non solum in principiis, sed conclusionibus etiam occupatum, & sic genus Metaphysicæ & complectitur sapientiam. 2. Strictè pro ut dicit habitum non circa principia, sed conclusiones duntaxat occupatum, & sic non genus Metaphysicum distinguitur 6. Eth. à sapientia.

Nos è contrariò à partibus illorum non stantes argumentamur. 1. Quicquid latitudinem Metaphysices non exprimit,



mit, non est genus; atqui scientia latitudinem Metaphysicæ nō exprimit. E. non potest esse genus. Major stat munita suffragio omnium philosophorum. Minor probatur, quia scientia est tantum notitia conclusionum, præscis principiis, sapientia, verò tam conclusionum quam ipsorum principiorum.

2. Nulla species opposita per alteram speciem oppositam tanquam per genus potest definiri. Atqui Metaphysica & scientia sunt species oppositæ. E. illa per hanc, tanquam genus, non potest definiri. Minor probatur ex definitione scientiæ sapientiæ contrariâ: Scientia est habitus demonstrativus ex necessariis.

3. Ubi non 1. dantur veræ & exquisitæ demonstrationes, 2. veræ & propriè dictæ causæ, 3. non propria dicta principia, 4. nec affectiones veræ, inibi propria nō potest esse scientia; atqui in Metaphys. non dantur 1. veræ & exquisite demonstrationes. Ratio, quia ad demonstrationes requiruntur affectiones propriè dictæ, i. e. realiter à subjecto distinctæ, 2. non veræ & propriè dictæ causæ, quod per se patet, 3. nō propriè dicta principia, sed cognoscendi saltē, 4. non affectiones veræ, sunt enim propriè modi & ἀναλογικῶς affectiones dicuntur. E. non potest esse scientia.

4. Quicquid se habet ut pars & totum non ut genus, ad speciem eodem loco se habere potest; atqui scientia ad Metaphysicam se habet ut pars ad totum, nam Metaphysica, quoad genus est sapientia, quæ intelligentia & scientia constat. E. eodem loco non potest se habere ut genus ad speciem.

#### QUÆSTIO IV.

*An Ens reale saltem & per se, an etiam rationis  
& per accidens sit subjectum Me-  
taphysicæ?*

E 2

111



In constitutione subjecti Metaphysicæ inveniuntur quidam, qui *in excessu*, quidam qui *in defectu peccant*; qui in excessu peccant, dicunt subjectum Metaphysicæ esse Ens in tanta latitudine, ut comprehendat sub se ens reale & rationis, Ens per se & Ens per accidens, & omne intentionale: neutra tamen illarum opinionum potest subsistere. Nam subjectum scientiæ debet esse unum, ab ejus enim unitate sumitur unitas scientiæ, attamen distinctim videbimus rationes.

1. *Cujus potest haberi unus conceptus communis, id est obiectum Metaphysicæ; at qui entis realis & rationis seu quod idem sit Ens per se & accidens potest haberi unus conceptus communis. E est subjectum Metaphysicæ.*

Resp. Ad minorem, quod Ens rationis æquivocè sumatur, pro negatione & privatione & harum rerum directus conceptus esse nequit, & ea propter non subjectum in Metaphysica.

2. *Ubi distinguitur inter entia realia & rationes, inibi pertinent; at qui hoc fit in Metaphysica. E.*

Resp. Ad minorem: Metaphysica distinguit entia rationes à realibus, non aliter ac visus tenebras à luce, non utraq; cognoscit & tradit, sed dum unum cognoscit, alterum ut diversum & sibi minimè cognoscibile relinquit.

3. *Quicquid habet essentiam Metaphysicæ, est subjectum; at qui ens rationis habet essentiã, quia 1. per eã est reale & non reale. 2. quia opponitur enti reali, quod verò alicui oppositum est, per essentiam ei est oppositum. Scal. exerc. 12. sect. 3. E.*

Resp. Ad majorem inter *re* considerari, nam aliquid potest considerari, 1. *per se & directè*, 2. *indirectè*, obiter, per quandam analogiam & reductionem. Entia rationis considerantur in Metaph. 1. non per se, sed propter quandam proportionalitatẽ quam habent cum entibus realibus, ens n. rationis, genus videlicet, deducit nos in cognitionem Animalis. 2. ut ab entibus realibus distinguatur. 3. ut declarentur Entis realis  
pro-



proprietas, quæ non nisi per entia rationis cognoscuntur,  
qualia sunt genera & species. Suaret. tom. 1. disp. 1. s. 1. dist. 4. & 9.

4. Si Ens rationis in nulla alia disciplina quam Metaphysica  
consideratur, sequitur, quod sit etiã ejus subjectũ; sed prius verũ. E.

Resp. Ad majorem, Distinguendo inter considerationem,  
quæ 1. est effectiva, quæ est rationis effectum ut oratio, 2. subje-  
ctiva, cujus ratio est subjectum inhærentiæ, idq; est ens reale  
contentum sub generibus accidentium. 3. objectiva. Res enim  
dicitur cognita non solum inhæsiuè per suam imaginem, sed  
etiam objectiuè secundum seipsam, quia cognitio fit per quã-  
dam assimilationem & quasi attractionem rei cognitæ ad co-  
gnoscentem. Hæc potest habere esse verum, reale, secundum  
quod intellectui obiicitur, & tum objectiuè tantum obiici in-  
tellectui dicitur, & nullum habet esse reale & positivum, se-  
cundum quod intellectui obiicitur, & appellatur objectiuè  
consequens & id propriissime dicitur ens rationis & defini-  
solet, quod habet esse objectiuè tantum in intellectu.

Uterioris notitiæ ergo contra hanc opinionem no-  
stram sententiam sic declaramus.

1. Cujus non datur scientia, id Metaphysicæ non est sub-  
jectum, Entis rationis non datur scientia. Non enim, sunt vera  
entia, sed figmenta. E.

2. Quicquid est subjectum Metaphysicæ per se, est intelli-  
gibile. Ens rationis per se non est intelligibile, sed per aliquam  
analogiam & conjunctionem ad vera entia. E.

3. Omne subjectum fit per causas veras. Ens rationis non  
fit per veras, sed fictas. E.

4. Æquivoca unum subjectum non constituunt nec u-  
nam scientiam. Entia rationis sunt talia. E.

5. Quod per se & non per accidens in scientia cognosci-  
tur, id ejus est subjectum. Ens rationis per accidens in Meta-  
physicis cognoscitur. E.

6. Infinitorum nulla est scientia. Entia per accidens sunt  
infinita. E.

E 3

7. Omne





7. *Omne subjectum sit unum: Ens per accidens non est unum, sed aggregatio multorum. Homo & albus sunt distinctae res, quas mens vestra demum in unum conceptum cogit. E. entia per accidens non sunt vera entia, nec propriam definitionem habere possunt, & per consequens nec sub scientia, nec subjecto aliquo conveniunt.*

Quod attinet alteram quaestionem, dicimus verum subjectum adaequationis Metaphysices esse ens reale, communissime sumtum cum suis affectionibus unitis & disjunctis, ad quod refertur subjectum perfectionis & praedicationis seu attributionis. Nam

1. Universalis & realis disciplina habeat universale & reale subjectum. Nam tota natura scientiae ejusque termini & limites a subjecto sunt. Metaphysica est talis disciplina. E.

2. Ut se habent affectiones alicujus subjecti in scientia, ita etiam se habet subjectum ipsum; at affectiones subjecti Metaphysicae sunt communes entibus creatis & increatis. E. ita se habebit subjectum, quod harum affectionum *πρῶτον δεκτικόν* est.

3. Omne scibile in aliqua disciplina est explicandum. Ens est scibile. E. in aliqua disciplina explicandum, & per consequens, ad Metaphysicam est remittendum, quia in nulla commodius potest explicari.

4. Sapientia versatur circa omnia; Metaphysica est sapientia. E.

## QUAESTIO V.

*An subjectum Metaphysicae sit Deus & intelligentia?*

Illi, qui *in defectu* peccant, ponunt subjectum angustius, Deum, Ens creatum, substantiam immaterialem, substantiam in communi, prout praeseindit a finita & infinita, Ens divisum  
in



in decem prædicamenta. Sed quoniam supervacaneum est le-  
ves quasdam opiniones perpendere, præsertim cum plurimæ  
ex dinumeratis, jam sapientum consensione explosæ sunt pa-  
gellæ, nec ulteriora patiuntur, subsistemus hac consideratâ, ad-  
versa pars ita arguit.

1. *Quæcunq; disciplina audit Theologia, ejus subjectum est  
notitia naturalis de Deo & intelligentiis, atqui Metaphys. audit  
Theologia. E.*

Resp. 1. Argumentum est Topicum, non multum pro-  
bans. Ergo parum arguit.

2. *Ad majorem, quæcunq; disciplina audit Theologia ex  
subjecto adæquationis, illius subjectum est naturalis notitia  
de Deo & intelligentiis. Jam minor probari nequit, quia dici-  
tur Theologia ex subjecto perfectionis & primaria ejus parte  
quapropter etiam denominatio à præstantiori seu potiore fa-  
cta est.*

2. *Ad quod omnia referuntur, id est; subjectum Metaphysicæ  
ad Dei cognitionem omnia referuntur. E.*

Resp. Ad majorem dist. inter subjectum adæquationis &  
perfectionis illud verum subjectum est quia toti scientiæ æ-  
qualiter subiicitur. Hoc principalior ejus pars & hoc in Me-  
taphysica est Deus non illud Javell. 1. Met. q. 1.

Sed hanc negligimus opinionem non immeritò, eò  
quod ens communissimè sumtum cum suis affectionibus &  
principiis omittit. Nam & hoc esse Metaphysicæ consideratio-  
nis probavit præcedens quaestio & si entia ad Metaphysicam  
non pertinerent tum ad nullam aliam scientiam possunt de-  
duci. Imo Metaphysica est scientia universalis, non particula-  
ris, ideo nō habebit particulare subjectum, quod est Deus, aut  
intelligentia sed universale quod Deo, & intelli-  
gentiis omnibusque creaturis est  
commune.

2 1 1 1 1

ωεσφά-





προς Φωνησις

*Ad Præstantissimum atq; Literatissimum*

Dn. Respondentem.

**O**mnis ab ore Dei manat sapientia. Solus  
Et veri verus fons & Origo Deus.  
Non hominis vox vera sonat, nisi congrua rebus:  
Congrua sed rebus, congrua & ipsa Deo.  
Res etenim Deus ipse & veras usq; posivit.  
His quicquid Concors id placet omne Deo.  
Sic scriptura Dei verum; naturaq; id iddem  
Urget. Et his discors displicet omne Deo.  
Discimus ergo Dei verum seu biblia sancta  
Queis sonat os Domini volvimus assidue.  
Et seu Naturam, quares divo ore create  
Fantur, Scrutamur ritè, tenore Sophum.  
Felix, qui sollers ex his utrimq; libellis  
Sic dictante Deo colligit en-Sophiam.  
Et mage si prima Sophia & sic entis abyssum  
Perspicit, hinc amplam colligit en-Sophiam.  
Felix Andrea studiis ad utrimq; paratis  
Et prima Sophia dogmata vera tenes.  
Pergito sic Sophia stadium decurrere. Magnis  
Reddet sic studiis premia magna Deus.

Φιλίας ἐνεκα

f.

M. Johannes Scharfius Saxo.

F I N I S.



AB: 67  $\frac{5}{c, 10}$


ULB Halle

003 357 104


3












Farbkarte #13

B.I.G.



2

TATIONUM  
 YSICARUM  
 RIMA  
*De*  
 K CONSTITU-  
 ETAPHYSICÆ,  
*Quam*  
 ilio summi JHOVÆ  
 nuentis  
 DERANTE  
 NE SCHARFIO  
 tadense Saxone,  
*ae Facultatis Philosophicae*  
 lorentissima  
 ENSI ACADEMIA  
 placideq; examinandam  
 proponit  
 S MATHIÆ  
 burg. Marchicus.  
 ad diem 16. Novemb.  
 is matutinis.

---

EBERGÆ,  
 RISTIANI THAM,  
 M DC XXII.

